Frid. Zamell

NUPTIÆ VOIDIANÆ
ſecundæ.

Elbingæ anno M. DC. XLV.
Typis BODENHAUSINIS.

THEOLOGO AC POËTÆ CLARISSIMO

BALTHASARI VOIDIO

iterum Sponso.

CEntum ego Chrysippis ausus contendere dixi,
Qvicquid ab his rigidis ponatur in ordine rerum,
Qvod Fatum appellant, nec caussam disputet ullam,
Stoicus in dubio metuens assurgere; qvodq;
Sæpe mihi dictum est & signa & facta tuenti
Assero, mi Voidi, *Te Sponso: Cætera Vatum*
Et vulgi sors una trahit: connubia nostræ
Gentis habent alium communi tramite callem,
Et vigor in nobis & qvod sectamur amœnum,
Osculaq; illa novem cum carminis atq; diei
Præside sinceri designant omnia Veris.
Liliaq; stactenq; vides & Adonidis herbam,
Ac Pæsti Veneres & amicam floribus Ennam,
Tum qvicqvid mundi genius præsentior edit,
Aut si qva Auctumno veniunt solatia; totum hoc
Noster honos: & nata meis est uva Poëtis.
Siq; Tui gaudes exemplo stare SABOVI,
Vicimus. In pupâ qvinquagenarius arsit
Virgine: nec caro minor est ea cura marito
Nunc qvoq;. Et ô dulces animæ, qvibus arduus æther
Indulsit solis, nullo qvod inertia sensu
Pectora concipiunt! Potuit tamen iste Caycus
Ducere, Tuq; parem? Musæaq; natio casûs
Semper habet similes? Bene nubit lætior ævi.
Qvippe senent pariter cum Vate juvencula firmo.
Ille sibi sociæq; recens Iovis omnia tela
Germinis Aonii transit munimine tutus.

Thracius Eurydices Liricen cùm victus amore
Iret ad Orcinas repetitor conjugis oras,
Digna peti visa est: neq; enim præstantior Hebro
Nimfa fuit, Ciconum nec pulcrior altera terris.
Ille qvidem cautes sed non tamen antè trahebat
Carminibus, tumulo qvàm comparis ossa dedisset.
Hærebat Rhodope, cùm viveret illa, rigensq;
Ismarus in solâ defixus imagine divæ.
Istud ament colles, colleisq; imitantia saxa
Aspera cum scopulis: meruit Thrax arte canendi
Esse vir ingenuæ, scopulis qvæ mitior esset.
Certa fides, imas Stygis ingemuisse cavernas,
Rupit ubi teneros lex horrida Ditis amores.
Insidias meditata viri raptosq; hymenæos,
Et pacta, ætherium qvibus ipsa reviseret Orbem,
In diros aliqvid dixit Proserpina mores.
Lesbia si valeat, servivit Naso Corinnæ.
Qværitis? arbitrium sumsit fiducia formæ.
Vidit, & ut tali Vates frueretur amicâ,
Venit ad obseqvium. Nec qvi Menelaida socco
Induit aut Danaen, alios sibi condidit ignes.
Formosis pretium fecit Natura, qvod omnes
Naturæ merito promulgavêre Poëtæ
Hoc ipsum, ut res est, inter sua vota seqvuti.
Transeat in nostrum Pelidæ gloria nomen.
Arsit: & in tenerâ Briseide molliùs arsit,
Carmina cùm nervis positâ subjungeret hastâ.
Hunc minùs in censum, qvo sunt Helicona colentes,
Pygmalion intret: nostræ tamen æmulus arti
Vt placitum finxisset ebur, propriiq; calorem
Ipse operis traxisset, & in rata vota ruisset.
Fama Tyro veniens alias vulgavit in vrbes.

Vos

Vos ò deterior sangvis ditescite bulgâ
Arentis vetulæ. Ne limpidiore rigemur
Fonte, sit in putres animus descendere lamas?
Qvid tamen? Ah tamti non sunt conchilia Gangis,
Aut nitela Tagi! Paphiam divertimur aram,
Qvâ puræ nullo temerantur munere flammæ.
Hei mihi, qvi stolidos ornabam nuper amanteis,
Silvanum canamq; Thetin, post funera nati,
Postq; Neoptolemi cineres & busta nepotis
Se thalamo reparare novo violenter adactam!
Et Vates ego, nec præceps in talia qvondam!
Nota loqvor, Cives: me patria rura canentem
Vicinusq; audivit Habus, Landæq; propinqvus
Clivus Hamadryadum: qvæ dein fortuna maneret,
Prostat & hoc Vobis. Iacuêre Cupidinis arma
Protenus, inq; suos abierunt omina ventos.
Fallor, an averso qvoniam maris æqvore, & ipso
Rectore undarum pepigisset filia Nerei,
Uda faces alto demersêrat Amphitrite?
Sacra parabantur: sine dIs lux festa recessit,
Turbaq; mortales successimus infima templis.
Ingens declivi tollit se littore moles
Structa diis, qvos pontus habet, mensisq; deorum.
Intus, ubi sola terrarum infusumq; profundum
Artifici discreta manu patuêre, minasq;
Ventorum ambitus subiit umbratilis Orbis;
Terrent monstrosæ facies, ac plurima pistris
Humano vitreum promittit ab inguine piscem.
Cæruleo stat major honos, mentitaq; fuco
Lana maris speciem cinctu prælata virorum
Illo habitu ingressos primis immiscet Achivûm;
His streperus pro voce sonus, mediâq; repressus

Fauce

Fauce nec Ausoniæ, qvoniam discriminis expers,
Nec Grajis studio attento distinctus Athenis.
Extra aulam fabrorum operæ cœptiq; labores,
Et succedentes in mille pericula silvæ,
Materiesq; rudis, stupæq; picisq; liqventis
Condita vis, ratibusq; aptandis utile ferrum.
Ara subest, qvâ seu redeuntes æqvore nautæ
Vota pia exolvunt, seu cùm dant carbasa ventis
Concipiunt eadem mactati sangvine tauri.
O si fluctivagam certus contemnere gentem
Non hac sedissem Neptuno credulus actâ,
(Nam convivarum numerabar in indice nonus
Captator rerum, qvas seu promittitis auræ
Sive negatis, eunt in non sua munia Vates)
Tutiùs exigui reqviessem in margine rivi!
Nec tanti fuerat numero coiisse sororum,
Qvas Permessus alit: fuit unus & alter in isto
Agmine, qvi Clarii tueretur Apollinis artes.
Non ego dedignor: sed erant sine Pallade qvidam,
Et qvi se Majâ genitos qvàm Pallade mallent.
Qvos sibi successûs ipsi contingere nutu
Orârint Superûm, firmis æqvalibus opto.
Ædificent, verrantq; fretum fallacibus Euris
Infidoq; mari jam non fallentibus ultrà,
Dum me prima juvant qverulæ solatia Musæ,
Perq; loca ingredior procul hinc subeuntia Pindo.
Si fortè Almesiæ *vidistis tendere Vatem,*
Pastores ovium confini rure feracis
Æmoniæ, & Vestras aliqvis dolor attigit aures;
Condite qvæ nostros imitentur carmina qvestûs
Mænalii pecoris qvondam tractanda magistris.
Funde merum (nam qvò rapior?), puer obvie nectar,

Qvi

Qui venis & Veneris spiras à vertice odores.
Solventem curas poscunt hæc tempora Bacchum,
Et non angusto profusas pectore voces.
Ardua Patriciæ sudant cœnacula gentis,
Prætereaq; duas Hymeneia turba diætas
Replet, & ejecto concinnat gaudia luctu.
Tum munus venerata dei, signumq; bicorne
Hyblæis amplexa rosis hodierna serenæ
Fœdera noctis habet, fastisq; inscribit Amorum.
At Tu mi Voidi, *quem cingit adorea Phœbi,*
Quem Musæ Charitesq; fovent, & culta senectus
Ponit Agenoreæ decora inter rara puellæ;
Vir Nimfæ, quam flava Ceres ter visit ab alto,
Quatuor Ausonio cùm lustra reconderet Orbi,
Rite maritali Berenicen *assere lecto:*
Quæ, cùm diligeres, tunc primùm sensit Amoris
Imperium Te docta sequi non ampliùs illam,
Quæ nemora & saltûs semper faretrata pererrat.
Sed nec Te facilem monitis præbere recusa.
Ecce Tibi viduos subit altera tæda Penates.
Novimus ut patres hebeant, cùm subdita matrum
Prima rogo est. At Tu circumspice, quid prior hæres
Posteriorq; velit: dabit hunc Tibi maxima Iuno:
Quodq; geres nomen nec in illo pignore muta.
Par ratio sobolis par cura utriusq; fovendæ est.
Summa salus rerum, legum sanctissima custos
Intret & in Vestrum solido pax robore septum.
Extremæ luxêre faces, nudataq; sertis
Atria destituêre chori: nec janitor altis
Admittit foribus: stratoq;, exeste, locata est
Nupta suo, rediensq; premit dux pronuba vocem.
Huc ades, atq; ederis bona corda tenacibus ambi

Diva

Diva potens, dulcesq; thoro demitte corimbos.
Tum circùm Idaliæ comites risusq; jociq;,
Primaq; se lætis ostendat Cinxia rebus.
Qvid moror? in sonitu præsentia Numina vidi,
Dum patulas habui sacris tinnitibus aures,
Dum labor iste meus secreto incumbere voto,
Ne per fallaces seqverer præsagia caussas.
Ipse ego, qvi vegetas thalamorum ad fulcra corollas
Suspendi, liqvidis hæc assero carmina verbis:
Nos placidi fontes & prata recentia subter
Montibus aëriis, qvà se sine nubibus auræ
Insinuant animis, & sola silentia regnant
DIsq; accepta qvies, tenerâ implevêre juventâ,
Nos & lauriferæ delectant undiq; silvæ,
Inq; dies Penei Tuos renovamur ab illo
Muneribus divûm se conservante virore,
Lævia qvà molles obeunt virgulta Napææ.
Illic purpureum latè spargebat honorem
Aureus Abrotoni *vertex: erat una dearum,*
Qvæ nemorum augustâ, Voidi, *Te parte bearet.*
Addidit hinc: Si frunde sacrâ Tua timpora vestis,
Et decus hoc silvæ sub lauris accipe natum.
Corte procul Vestrâ qvisquis flos exolet esto.
Cernite, qvi nostros aliquo de fomite motûs
Discitis, ut deus integro firmaverit usu
Res Vatum, prositq; animus juvenilis & ætas;
Vt faciles eadem veniant in præmia mores,
Et pariter nexus stet ab istâ lege jugalis.
Non ego Vos animo doctas ad probra puellas,
Vos Niobes sobolem: dedimus sua poma Poëtis,
Qvos calor à Phœbo, qvos Cypria destinat hortos.
Cypris amat Vates: cœlum cantoribus illis

Implet,

Implet, & hoc genitale solum camposq́; liqventeis.
Vos qvoq́; habent nostri non unâ in parte libelli.
Si memorem, qvò me Phœbeius egerit ardor;
Hinc Heliconis apex, hinc stabant alta Cythera:
Qvæq́; jugis media est, regionem scitus obibat
Nec vulgo monstratus Amor, castrisq́; tenebat
Mæonidum potos arcano nectare Mystas.
Vidi ego, qvæ Faunos *urgeret culpa nocenteis.*
Atq́; utinam tutis habeant ea crimina Nimfis!
Qvò furor, & non verus amor? fugére misellæ,
Lacteaq́; in duro posuerunt cortice membra:
Osq́; deæ qvondam pars est rigidissima trunci.
Servatis monumenta fugæ, qvam clauserat amnis,
Vos lentæ salices pronis ad flumina ramis.
Si qva coli facies si qvæ meruisset amari,
Culta fuit nobis pro virginitate locutis:
Mansit & integritas castoq́; relicta cubili est.
Sed moveat Vestras aut tangat gratia mentes,
Formosæ Veneriq́; pares, at munere nostro,
In qvo fecistis rationum Codice nomen?
Qvos penes? Ingenuas juvat hæc monuisse puellas:
Ac si qva ingenua est, ea nubit virgo Poëtæ.
Scribatur tabulis nullius fraude legentum,
Atq́; mei referant moribundo gutture cicni
Fatorum testante vias:
Corte procul Vatum qvisquis flos exolet esto.

ERat facetus nuper & dicaculus
Qvidam Poëta, qvi Thorunio inclito
Te Sponse Te caput mihi venerabile
Dissereret augustæ puellæ Vindicem.
In Drusianis illam haberi Najasin
Velle; ac favente consequutum Flumine,
Vt scriberetur altera inter Najadas,
Cùm prima ob invidiam vocari metueret.
Vt inaudio eqvidem nunc probèq; intellego,
Degit eadem ætatem hactenus Thorunii,
At civis Augustà est, colonos qvam ferunt
Habitasse Vindelicos. Et ipsa Nimfula
Facie decorá & optimis est moribus,
Nec genita ab aliis qvàm optimis parentibus.
Hanc Tu Voidi Pastor ad vada Drusia.
Cùm destinaris Tibi jugali fœdere,
Gratulor idem: apprecorq; deinceps omnia,
Qvæ Tute malis ipse comprecarier.

Gotofredus F. F. Zamelius.

SVm puer, & qvid sint cum Sponso Sponsa facesq;
Nescio: sed vidi vota dedisse patrem.
Sit bene cum Sponsâ, dixit, Tibi care Voidi.
Sit bene. Per puerum vota parentis habe.
Dum meditor, minimus nostrûm Federiculus adstat:
Tuq; voves eadem? dixi ego. dixit: ita.

Carolus Theodoricus F. F. Zamelius
apposuit V. Cal. Decemb. ipso nuptiarum anno ult. temp. M. DC. XLV.